

jugum extollat: inter Aegyptum et Aethiopias arenarum inculta vastitas jaceat! Si quis formicis det intellectum hominis, nonne et illae unam aream in multas provincias divident? Quum te in illa vere magna sustuleris; quoties videbis exercitus subrectis ire vexillis, et quasi magnum aliquid agatur, equitem modo ulteriora explorantem, modo a lateribus affusum, libebit dicere:

*It nigrum campis agmen.* —

Formicarum iste discursus est, in angusto laborantium. Quid illis et nobis interest, nisi exigui mensura corpusculi? Punctum est istud, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis: minima, etiam quum illis utrumque Oceanus occurrit. Sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur: at ita si minimum secum ex corpore tulit, si sordidum omne detersit, et expeditus levisque ac contentus modico emicuit. Quum illa tetigit, alitur, crescit; ac velut vinculis liberatus, in originem reddit. Et hoc habet argumentum divinitatis suae, quod illum divina delectant; nec ut alienis interest, sed ut suis. Secure spectat occasus siderum atque ortus, et tam diversas concordantium vias. Observat, ubi quaeque stella primum terris lumen ostendat, ubi culmen ejus summum, qua cursus sit, quo usque descendat. Curiosus spectator executit singula, et quaerit. Quidni quaerat? scit illa ad se pertinere. Tunc contemnit domicili prioris angustias. Quantum enim est, quod ab ultimis littoribus Hispaniae usque ad Indos jacet? paucissimorum dierum spatiū, si navem suus ventus implevit. At illa regio coelestis per triginta annos velocissimo sideri viam praestat, nusquam resistenti, sed aequaliter cito. Illic demum discit, quod diu quaesivit: illic incipit Deum nosse. Quid est Deus? Mens universi. Quid est Deus? Quod vides totum, et quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil majus excogitari potest, si solus est omnia, opus suum et extra et intra tenet. Quid ergo interest inter naturam Dei, et nostram?